

PRIMA DIE NON IMPEDITA POST IV. JANUARII.

IN FESTO

## SANCTI TITI EPISCOPI CONFESSORIS.

Missa *Statuit de Comm. Confessoris Pontificis.*

*Praet. orat. seq. et Evang.*

### ORATIO.

<p><b>D</b>eus, qui beatum Titum Confessorem tuum atque Pontificem apostolicis virtutibus decorasti; ejus meritis, et intercessione concede, ut juste et pie viventes in hoc saeculo, ad coelestem patriam pervenire me-</p>	<p>reamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.</p> <p><i>Et fit Comm. feriae in Quadrag.</i></p> <p><b>E</b>vangelium: <i>Designavit Dominus, de Commune Evangelistarum.</i></p>
--	--



DIE V. FEBRUARII.

IN FESTO

## SANCTORUM VIGINTI SEX MARTYRUM JAPONENSIVM.

Missa *Sapientiam Sanctorum de Communi plurimorum Martyrum praeter Orationes sequentes.*

### ORATIO.

<p><b>D</b>omine Jesu Christe, qui ad tui imitationem pro Crucis supplicium primitias fidei apud Japoniae gentes in Sanctorum Martyrum Petri Baptiste,</p>	<p>Pauli et Sociorum sanguine dedicasti, concede quasumus, ut quorum hodie solemnia colimus, excitemur exemplis. Qui vivis et regnas.</p>
--	---

### SECRETA.

<p><b>S</b>uscipe Domine munera, quae in Sanctorum Martyrum tuorum Petri Baptiste et Pauli cum Sociis solemnitate deferi-</p>	<p>mus, et da nobis famulis tuis, ut eorum meritis in confessione tui Nominis stabiles inveniri mereamur. Per Dominum.</p>
---	--

## POSTCOMMUNIO.

**D**eus, qui Crucis Mysterium in Sanctis Martyribus tuis Petro Baptista et Paulo cum Sociis mirabiliter illustrasti, eorum, quaesumus, meritis et in-

tercessione ita nos per gratiam tuam in fide et charitate confirma, ut nullis a te tentationibus separemur. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.



DIE VII. SEPTEMBRIS.

IN FESTO

BEATAE BRONISLAVIAE MONIALIS  
PRAEMONSTRATENSIS.

Missa **Dilexisti** de Communi Virginum,  
*praeter Orationes sequentes.*

## ORATIO.

**D**omine Jesu Christe, qui humili crucis tuae sequela ascensiones ad te disposuisti, concede propitius, ut exemplo B. Bronislaviae, cuius vene-

randam celebramus festivitatem, post praesentis vitae aerumnas gloriae tuae participes esse mereamur. Qui vivis et regnas.

## SECRETA.

**V**irginis tuae Bronislaviae, precibus, Domine Jesu Christe plebis tuae dona sancti-

fica: ut quae tibi tuo grata sunt instituto, gratiiora fiant patrocinio supplicantis. Qui vivis.

## POSTCOMMUNIO.

**P**raesta, quaesumus Domine Jesu Christe, ut cuius memoriā sacramenti participa-

tione recolimus, virtutes quoque proficiendo sectemur. Qui vivis.



DIE VIII. DECEMBRIS.

IN FESTO

IMMACULATAE CONCEPTIONIS  
BEATAE MARIAE VIRGINIS.

## INTROITUS.

Isaiae 61.

**G**audens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis: et indumento justitiae circumdedit me, quasi Sponsam ornatam monilibus suis.

**Psal. 29.** Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me.

**v. Gloria Patri.**

## ORATIO.

**D**eus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti: quaesumus; ut qui ex morte ejusdem Filii tui praevisa eam ab omni labe praeservasti, nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus: per omnia saecula saeculorum.

**R. Amen.**

**Et fit commemoratione Feriae.**

Lectio Libri Sapientiae.

**Prov. 8.**

**D**ominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam ficeret a principio.

Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram: neandum fontes aquarum eruperant: neandum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar: adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terrae. Quando praeparabat coelos, aderam: quando certa lege et gyro vallabat abyssos: quando aethera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terrae. Cum eo eram cuncta componens; et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore; ludens in orbe terrarum: et deliciae meae esse cum filiis hominum. Nunc ergo filii audite me: Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abdicere eam. Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inventiet vitam, et hauriet salutem a Domino.

**Graduale. Judith. 13. 25.**  
Benedicta es tu, Virgo Maria, a Domino Deo excelso, praे omnibus mulieribus super terram.

**N.** *Ibid.* Tu gloria Jerusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri. Alleluja, alleluja.

**N.** *Cant. 4, 7.* Tota pulchra es, Maria: et macula originalis non est in te. Alleluja.

*In Missis votivis post Septuag., omissis Alleluja et N. sequ., dicitur*

**Tractus.** *Psal. 86. 1.* Fundamenta ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

**N.** *Ibid.* Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei.

**N.** *Ibid.* Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.

*Tempore Paschali omittitur Gradiuale, et ejus loco dicitur:*

Alleluja, alleluja.

**N.** Tu gloria Jerusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri. Alleluja.

**N.** Tota pulchra es, Maria: et macula originalis non est in te. Alleluja.

† Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. *Luc. 1.*

**I**n illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.

**Credo.** *quod dicitur per totam Octavam.*

**Offertorium.** *Luc. 1. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Alleluja.*

### SECRETA.

**S**alutarem Hostiam, quam in solemnitate Immaculatae Conceptionis Beatae Virginis Mariae tibi, Domine, offerimus, suscipe, et praesta: ut sicut illam tua gratia praeveniente ab omni labore immunem profitemur; ita ejus intercessione a culpis omnibus liberemur. Per Dominum.

*Praefatio de Beata Maria Virgine. Et te in Conceptione Immaculata. Et dicitur per totam Octavam, etiam in Festis infra eam occurribus.*

**Communio.** Gloriosa dicta sunt de te, Maria: quia fecit tibi magna qui potens est.

### POSTCOMMUNIO.

**S**acramenta quae sumpsimus, Domine Deus noster: illius in nobis culpae vulnera reparant; a qua Immaculatam Beatae Mariae Conceptionem singulariter praeservasti. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus: per omnia saecula saeculorum.

**R.** Amen.